



**D**RUSUS patre Germano Tiberio Nerone natus est. Cū huius mater Livia Drusilla ex marito grauida esset, eam Augustus Imperator uxorem duxit, atq; ob singularem formam & pudicitiam unice dilexit. Hęc post tertium mensē Dru sum hunc peperit. Is cum adoleuisset à uitrico in Germaniam missus, ut ijs in locis legionibus prae-asset. Ibi Drusus ob magnas corporis & animi uirtutes res multas contra Romanorum hostes praeclarę egit, ac Moguntię sedem habuit. Cum etiam progenitoris sui patriam amaret, ea loca multis ædificijs exornauit, atq; apud Rauracos sexaginta arces cōstruxit. Pōst etiam Rheni tractum (uictor ubiq; existens) in Prouinciae formam redegit, & Germanici cognomen im- petrauit. Itaque absens Romæ cum Calphurnio, & postea L. Quintio Crispino, anno ante Christi nativitatem octavo, consulātum obtinuit. Huius Drusi multa adhuc passim ad Rhenum monumēta extant. Cum enim Rhetos prelio superasset, Vallem Drusianam de se cognominauit, quæ hodie Vualgauu dicitur. Extat etiam circa Moguntiam Drusi domus, quam hodie uillam Drechshaussen uocat. Tandem uerò Drusus Moguntię ob equi lapsum crus fregit, atque uulneris acerbitate obiit. Eius corpus in cineres pro more redactum, milites circa Moguntiam in alta columna conseruarunt, atque ibi dijs suis sacrā obtulerunt. Huius frater senior Claudius Tiberius ab Augusto adoptatus, deinde tertius Cæsar extitit. Reliquit etiam Drusus filium Tibe- riū Claudium, qui postea Romę quinto loco magna cum laude Rēpubli- cam administravit. *Liuus. Suet. Auentinus.*